DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CHLOROSI.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE CHLOROSI:

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS *RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,*

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS TABRUM,

Anglus;

REG. COLL. CHIR. LON. SOC.

REG. SOC. PHYS. EDIN. SOC.

E PRÆSIDIBUS SOC. PLIN. EDIN. UNUS.

——— She never told her love,
But let Concealment, like a worm i' the bud,
Feed on her damask cheek; she pin'd in thought,
And, with a green and yellow melancholy,
She sat like Patience on a monument,
Smiling at Grief.——*Shakspeare—Twelfth Night.*

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

MDCCCXXVI.

THOMÆ KEY, M. D.

PAGINÆ QUÆ SEQUUNTUR, ÆSTIMATIONIS SUMMÆ

TESTIMONIUM,

ANIMIQUE OB INNUMERA BENEFICIA ACCEPTA GRATISSIMI

PIGNUS,

MAXIMA CUM OBSERVANTIA,

AB ILLIUS AMICO VERO,

AUCTORE

DEDICANTUR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CHLOROSI.

AUCTORE GULIELMO TABRUM.

In iis quae sunt secuturae paginis in animo est, quàm maxime perspicue potero, morbum istum depingere, cui nomen " Chlorosis" Nosologi imposuere; de quo porro inter medicos multùm discrepari videtur.

A quibusdam pro emansione mensium, ab aliis pro amenorrhoea errore habitum est vitium illud; sed quoniam ex his morbis utrumlibet adesse, neque ideo Chlorosin necessariò induci posse arbitror, constat, quadam definitione naturae ejus notarumque propriarum accuratiore opus esse.

Ex opinione nonnullorum Chlorosis indicium est tantummodo aegritudinis generalis, neque unquam quasi morbus sui generis spectanda; quatenus haec sententia accurata sit, jam nunc exquirere nolo; hoc tamen verum habeatur, quòd eo difficilius erit, originem morbi cujusvis proponere, quo minus ad ejus indicia propria animadvertatur.

Dr Mason Good, in libro suo "The Study of Medicine," vernaculè inscripto, Chlorosin in species duas entonicam scilicet et atonicam diducit; quae distributio, primo intuitu, ad medicinae usum utilis fore pollicetur; sed quum signa ejus ipsissima et propria inspicimus, et ea ortum suum debilitati debere, vix potest esse, quin speciem, qualem entonicam appellat, accuratè propositam esse ambigamus.

Hujus auctoris docti distributio a proposito niti videtur; signa scilicet menses vel nunquam editos tempore idoneo, vel postquam editi sunt suppressos sequentia, et affectus

suos nocivos in constitutione praestantia, ex usu Chlorosin constituere; proposito nempe, quod profecto, quatenus multa spectat, defendi nequit.

Divisio in species entonicam et atonicam Doctorem Mason Good curationem utrique accommodatam ostendere cogit, unde colligitur illum Chlorosin et habitum corporis pleniorem haud a se invicem penitus abhorrere, ideoque simul existere posse censere.

Nosologos inter omnes fere convenit, Chlorosin a debilitate praecipuè pendere. Haec signum ejus summum esse videtur, atque, me judice, omnibus in exemplis prope fons invenietur, unde vel statim vel a latere oriatur.

Dr Cullen causam hujus vitii praecipuam debilitatem fabricationem perfectam organorum sexualium prohibentem esse ducit; ob quam stimulus tono harum partium idoneo oriundus abest, et exinde torpor et flacciditas inducuntur. In ejus Nosologia Methodica in

classe Neurosium et ordine Adynamiarum collocatur, et verbis talibus definitur "Dys-"pepsia, vel rei non esculentae desiderium, "cutis pallor vel decoloratio; venae minus "plenae; corporis tumor mollis; asthenia; "palpitatio; menstruorum retentio."

A Sauvage quoque et Sagar Chlorosis in classe Cachexiarum et ordine Icteritiarum ponitur: quorum auctorum ille, hanc affectionem in junioribus sexûs utriusque accidere posse autumans, speciem Chlorosin infantum appellatam proposuit. Pauci fortasse auctorem illum doctissimum ad tantum comitari velint; sed mihi ipsi morbum, de quo agitur, sexui muliebri nequaquam proprium esse persuadetur, quoniam pueros pubescentes omnimodo Chloroticos et quibus causa prorsus eaedem vitium istud intulerint, vidi.

In Nosologia Methodica Linnaei Chlorosis in classe Deformium et ordine Decolorum locum habet.

A Vogel classi Octavae, ordini Cachexiarum, redigitur.

A Doctore Young quasi dyspepsiae species habita fuit, et ita proposita; simul vero de hac collocatione dubitat, quippe cum amenorrhoeâ e natura nexum habere arbitratur.

A Doctore Mason Good in classe Quinta geneticâ nimirum, atque ordine Orgastica ponitur, atque, uti jam dictum est, in entonicam et atonicam dispescitur.

Ex sententia Doctoris Hamilton, in suo opere aestimabili De Medicamentis Purgantibus prolatâ, haec affectio a statu vitiato humorum, organorum praecipuê genitalium, laxitatem et flacciditatem inducente, pendet.

Quantum hunc auctorem inter et Doctorem Cullen conveniat, nemo est quin cernere possit; atque eorum de morbo notionem verisimillimam esse, et a qua rationem conditionis humorum animalium insigniter vitiatae in

exemplo Chloroseos vetustiori conspiciendae, optimam esse deducendam puto.

Ex iis quae jam dicta sunt, non tamen concludere licet, me corpora debilia et fracta sola isti morbo obnoxia esse opinari, etsi reverà talia saepissime plectuntur; multae enim causae sunt, casu accidentes, quae habitum plenissimum ad eam conditionem huic malo formando maxime fautricem redigere queant.

Hoc igitur assumpto, conditionem scilicet singularem generis uterini cum debilitate constitutionis conjunctam Chlorosi inducendae maximè favere, nos ideo oportet, aliquam inquisitionem instituere, ad arcanum mirabile menstruationem nimirum, cujus ratio parum idonea adhuc reddita est, exponendum, quatenus saltem proposito nostro praesenti inserviat. Quadam vitae aetate menstruatio, ad uteri ipsius conditionem sanam praestandam necessaria esse videtur; neque functio ejus propria in genere humano propagando, nisi prius illa mutatio facta fuerit, perfici queat;

cum ea quoque sanitas et valetudo sexûs muliebris nexum arctissimum habet, quoniam hoc profluvium parum interpellari potest, quin simul turbela respondens constitutionis universae cieatur.

Quia hoc profluvium temporibus diversis vitae, diversis erumpit, atque coelo, modo vivendi, ordine vitae, anni tempestate, et caeteris variatur, haec necessario partem indagationis nostrae sibi vindicant.

Ætas aegrae ipsa per se haud dux certa habenda, nisi quaedam ex his incommodis, quae hanc conditionem insignem notant, et quae ab experientia fluxu mensium sublevanda putaremus, sentiantur.

Catamenia plerumque circa aetatem puberem sese produnt, sed quoniam haec in diversis femellis, et sub coelis diversis variat, ad nonnullas e causis gravissimis quibus haec diversitas praecipue sit referenda, animum advertere oportet.

In Graecia, Persia, India caeterisque regionibus sole torrente calefactis pubertas aetate perquam matura incipit; anno aetatis octavo vel decimo, sexualium organorum status et indoles prorsus evolvitur: et feminae illae (feminae enim neque puellae reverâ sunt) decem annos natae matres factae fuisse noscuntur. Huic evolutioni praecoci mensium cessatio haud minus matura respondet. Hi enim saepe anno vigesimo desinunt; adeo ut in plagis illis mulieres annos triginta natae principia senectutis iniisse dicantur. Calorem coeli genus uterinum haud parum afficere ex effectibus ejus in foeminis Europaeis, quae eo habitatum iere, constat: hae enim plerumque ex ingenti menstruorum profluvio incommoda gravia patiuntur; cui quidem fluor albus copiosus magnam debilitatem, imo etiam aliquarum mortem denique inducturus succedit.

In regionibus hyperboreis contra, feminas catamenia parcissima neque saepe nisi in mensibus aestivis edere, certiores fimus.

Inter nostrates menses erumpunt, circa aetatem puberem, quae ab aetate annorum tredecim ad sexdecim in paucis citius, in nonnullis serius instat.

Jam restat, ut ad nexum organa sexualia inter et constitutionem generalem exponendum progrediamur. Hic nexus ex eorum consensu late operante intelligatur; uterus moleste se habens nauseam ciet; haec capitis dolorem, et ita per ventriculum, consensus uterum inter et caput deinceps instituitur.

Quando, post aetatem quandam, catamenia adhuc usque latent; aut, postquam instituerint, repressa fuerint, et haec conditio aliquamdiu perstet; constitutio saepissime laborat, istaque habitûs indoles arcessitur, cui nomen Chlorosin Nosologi imposuere.

Hoc vitio incumbente, Chloroticae status fere penitus mutatus erit; vivaces antea hebetes evadunt; hilares, morosae et difficiles fiunt; societas et convivium antea grata jam

potiùs displicent; solitudo magis quaeritur, occasionesque animo nubilo et meticuloso morigerandi. Ægrotantes languorem lassitudinemque sentiunt; motus fastidio quoque affectae exercitatione levissima defatigantur. Dolor est capitis infestus compluribus, oculusque aspectum hebetem et gravem adipiscitur. Indicia dyspepsiae flatu, acore et cetera in ventriculo monstrata urgere incipiunt. Appetitus varius evenit; et aliquando insigni modo vitiatus; aegrotas enim interdum cineres, arenam, cretam, tubos argillaceos, et cetera edisse bene notum est. Sapor oris saepe ingratus est, lingua sordibus obducta, spiritus olens. Alvus vulgo adstricta est et saepe non nisi acribus catharticis movetur. Nonnunquam tussis adest, spiritus difficilis, cordis palpitationes. Dolor dorsi et lumborum nates transigens, et saepe lateris saevus incessit, Morbo progrediente, constitutio quos patitur effectus monstrat, pallore faciei et ejusdem tumore molli; cutis item universi corporis quasi macerata, necnon insigniter aspera et sicca, coloremque suum paulatim ad

flavum et demum ad subviridem vertit, unde quidem morbus nomen proprium detrahit. Areola livescens os et oculos cingit; et labra aliquarum rimis hiulca vel etiam scabiosa sunt. Lingua alba est, et tumida; pedes oedemate tumefacti, urina parca et turbida. Pulsus vulgo tardè micat; artus frigescunt, calor enim corporis diminutus, sanguinem in ramulos arteriarum ultimos projicere nequit. Morbo valente irritabilitas magna adest; habitusque vere leucophlegmaticus dici potest.

Sicubi morbus aliquamdiu perstat; organa ad vitam magis necessaria morbosa fient, aegraque ad finem perimetur sic in quibusdam hepar inficitur; et exinde hydrops inducitur; vel mesenteria laborat, unde atrophia; vel pulmones, unde phthisis pulmonalis subsequatur.

Saepe jure ambigitur, num Chlorosis morbus sit idiopathicus an symptomaticus: exempla utrique opinioni fautricia decantantur; atque ipse aliquot memini, ubi catamenia usque ac-

cessere sed copiâ parciora quidem, qualitate mutata, et paulatim intervallis longioribus intercedentibus reditura.

In nuptis conditio morbosa aliquando spectatur, quae, meo judicio, chlorotica habeatur; haec per menses gravitudinis duos tresve priores, sed raro post tertium vel quartum permanet. Aliis lactatio diuturna conditionem eandem intulit; aliis mensium profluvium nimium; haemorrhagiae post partum difficilem; leucorrhoea immanis; ex febris effectibus a quibus constitutionis vires admodum dejectae fuerant; haec nimirum omnia morbo, de quo sermo versatur, viam straverunt. Hae causae tamen potius fortuitae, et non causis morbi solitis quas statim respecturus sum, accurate referendae habeantur.

E causis Chloroseos praedisponentibus creberrimis debilitatem unam esse aestimo, undecunque derivata fuerit, si tum praesertim adest, ubi natura functionem uteri instituere incipit.

Causae debilitatis ipsius admodum multae sunt, sed paucas e frequentioribus tantummodo hic exequi necesse erit.

Inter has corporis incrementum velox cum magna constitutionis teneritudine, victus nimium parcus, cujus paucos abhinc annos exemplum insigne in scholis convictoriis habuimus, ubi puellae adolescentes a diaeta et exercitationibus idoneis et salubribus cohibitae sunt, recenseri possunt. In civitatibus magnis opificiis deditis veluti MANCUNA, NOTTINGHAMIA et ejusmodi eaedem causae effectus eosdem multo latiùs praestare credantur. Istiusmodi sunt, aër insalubris, diaeta parca, exercitationis defectus, et fortasse vestimenta curta, &c. A Dre WILLAN adnotatum est, morbum in talibus locis endemicum dici posse. Vigilia, defatigatio, labor gravis, aërque nocturnus, vice causarum excitantium perfuncta sunt.

Inertia fons est foecundissimus unde mulieres mala innumera hauriant. Catameniorum

vel cutis halitûs suppressio subita; timor repentinus; constipatio diu neglecta; amorque frustratus, etsi quidem negent, prócul dubio, causa hujus morbi valentissima est; moeror spei dejectae sequela naturalis vires tam corporis quam mentis enervare videtur. Melancholica exercitationem corporis quamcunque fastidit, ideoque quod primo effectus erat pathematum mentis deprimentium debilitatis adhuc majoris causa evadit. Effectus quisque causa valida cohortis novae affectuum nocivorum extat. Virium vitae defectus, qui ex moerore et tristitia nascitur, cito suos effectus in instrumenta concoctionis edit; circuitus iners fit; cutis cito per consensum cum ventriculo laborat, et sic denique conditio ista compaginis universae arcessitur, quam morbo, de quo agitur, formando maximè favere in aprico ponere conatus sum.

Venus nimia et venus nulla inter causas excitantes ambae enumeratae sunt, nec fortasse immerito, quoniam consensus inter uterum et mentem jam vulgo, ut opinor, conceditur.

Appetitus insigniter depravati qui in hoc morbo sese identidem produnt, cum uteri conditionibus quibusdam nexum habere videntur. Feminae ita affectae saepe cupidine, quali resistere nequeunt, res appetuunt, quae per se spectatae nullo modo gratae futurae esse videntur. Cur cineres, arenam, carbonem appetant, primo intuitu non omnino explicandum credimus; sed quoniam iis ad placita adhibitis allevamen a sensibus quibusdam molestis percipitur, ea conditionem pravam humorum ventriculi corrigendo agere par est ut concludamus. Gastrodynia rebus talibus plerumque sublevatur, sed quomodo ex his aliqua agant, dicere haud ita facile foret.

E causis remotis nonnullae haereditariae et explicatu difficillimae videntur; talibus in exemplis inquisitione facta, parentem aetate eadem affectu simili laborâsse saepissime reperimus; in illis item catamenia sero sese protulisse; ideoque morbum ab idiosyncrasi, naturam cujus non nostrum est exponere, niti. Hae tamen aegrae plerumque ad finem in me-

liora spectant, et illis patientiâ quidem, sed medicinâ nulla opus esse videtur.

Quando ovariorum morbus, eorumve evolutio imperfecta ad Chlorosin viam sternit, parum est, quod medicina proficere possit. In quibusdam unum ovarium solùm subesse repertum est; atque Dr Hunter exemplum tradit, ubi utraque defuere. Insigne est ab auctoribus notatum, feminas adoluisse cum signis perfectionis externis, quibus tamen uterus nullus fuit; sed hoc nunquam accidere, ubi ovaria deficiunt.

Hymen imperforatus a quibusdam uti causa Chloroseos recensetur; sed num hoc accuratum sit, ambigere licet; secretio enim menstruus in talibus pergit; sed post aliquod temporis spatium accumulatio tanta fieri potest, ut molestiam haud exiguam inducat, et ita constitutionem corripiat. Ægrotis illis nil nisi operatio chirurgica sublevamen pollicetur.

Aliquot exemplaria traduntur, ubi coacervatio plusquam modica accesserat, fonte tamen nihil suspecto, ex quo incommoda, quibus plectebatur aegra, fluebant.

Polypus uteri prope cervicem ejus situs hujus vitii causis annumeratus fuit; multae sunt aliae, quas copia est memorandi, nonnullae conjecturâ solâ nitentes: sed quoniam eas quae creberrime cient proposui, jam ad diagnosin statuendam progrediar.

DE DIAGNOSI.

In exemplis hujus mali consuetis discrimina ejus proponere haud ita difficile sit; sed in exemplo vetustiori, ad multa symptomata urgentia statim animum animadvertere oportebit; ob eorum notas eminentes, in errorem inopinatum incidamus, et opinionem de natura affectionis intempestive deductam deflere cogamur. Ut situm adeo ingratum evitemus,

ad pauca ex symptomatis quibus facillime in errorem trahi possimus enarranda progrediar.

Dolor capitis fere ab initio morbi interdum saevus est et diu insistit; hirudines, vesicatoria, purgantia, ex usu indicarentur, sed effectus eorum, verisimillime brevis tantummodo et fugax foret: nisi igitur medicus ad statum generis uterini respiceret, causam doloris in capite ipso haerere fortasse putaret atque ita rationem medendi institueret. Ipse cephalalgiam immanem in feminis catameniis vel primo, vel postquam fuerant suppressa, fluentibus submotam vidi.

Tussis.—Quia hoc indicium semper in junioribus praesertim metum afferre queat, signa singularia quibus tussis chlorotica a phthisica discernatur, pro comperto habere, haud parvi momenti est. In morbo qui huic tentamini argumento est, tussis vulgo per paroxysmos incessit, cum sputo majore minoreve pituitae; pulsus aliquando citus est, et ita aliquamdiu manebit. Sicubi Chlorosis puer-

perium difficile, abortum vel febrem subsequitur, sudor nocturnus, maciesque haud exigua, cum doloribus pectus transcurrentibus, a debilitate ad quam redacta est aegra pendentes urgebant. Sec in illis nisi vires cito restituantur, tussisque pacetur, exitus verisimillime phthisis pulmonalis erit. In aliis autem tussis molestissima fiat, cum sputo pituitae haud parvo, aegraque observatori imperito a phthisica parum distare videatur ; attamen si pulsus tardus fuerit, vel sub exercitatione tantummodo celer ; si tussis mane maxime infestat, si non decubitu vel respiratione plena intenditur ; si aegra in latus utrumque pariter ad libitum decumbere potest ; si nulla est exacerbatio regularis ; nulla rubescentia hectica ; si oculus pro acie acri et perspicaci, hebetem et obtusum habet ; si appetitus cibi varius fortasse fastidiosus est ; si nulla inflammatio pulmonica antea invasit ; nullum sputum purulentum aegram phthisi pulmonali vacare, et exitum felicem esse posse, sperare licet.

Dolor lateris.—Ne hoc signum cum nota

hepatis morbosi confundatur timendum est, eo magis quia cutis color talem sententiam sancire potest. In Chlorosi dolor inter costas nothas et ilium locum tenet; in nonnullis latus alterum solummodo corripitur, in aliis utraque. Hic etsi saepe saevissimus parum constans est; aliquamdiu enim mitior factus mox vehementia pristina subit; dolorem praesentem pressura adauget, sed eodem absente, parum molestiae secum adfert. Chlorotica spiritum plenum trahere potest, neque ob septi transversi descensum dolorem sentit. Nullus est humeri dolor, neque tussis adest; etsi haec quidem fortuito accedere queat. Tunica conjunctiva colorem suum naturalem prae se fert. Haec simul cum menstruis suppressis spectata ad verum morbi ingenium monstrandum plerumque sufficient.

DE PROGNOSI.

Hæc necessario a morbi tempore et organorum illorum ad vitam necessariorum, quae in

morbi decursu turbata fuerint, conditione pendent; necnon a naturâ causae, unde malum nascitur, sive a fabricatione prava, obstructione mechanica, etc. et quatenus causa, quaecanque fuerit, medicinae vel operationi chirurgicae pateat.

DE CURATIONE.

Hæc in ea consilia distribui potest.

1mo, Quae ad causam morbi tollendam instituuntur.

2ndo, Quae in robore compaginis universae deinde uteri reficiendo laborant.

3tio, Quae symptomata urgentia levare conantur, ubi ob naturam causae, haec tolli nequit.

Imprimis de Purgantibus.—De necessitate cathartica ad initium hujus morbi exhibendi Dri Hamilton omnino assentior; status alvi iners usum eorum uti curatio prove-

hitur, postulat. Primo ita dari debent, ut alvum ter quaterve quotidie dejiciant, donec stercus foetorem demittat, aspectumque naturalem recipiat. Hoc primum sanationem magnopere expedire, et viam aliis remediis adhibendis sternere reperietur; siquando usus eorum constans ita dirigi potest, ut rationes curatorias alias minime interpellent, vel ullo pacto vires aegrotantis imminuant. Aloë ob actionem quam in rectum praestat insignem cum aliis rebus ex materia medica quales consilia medici optime promoveant, plerumque conjuncta fuit. Ipse aloën saepissime cum rheo, oleoque aliquo essentiali composui, et per totam curationem eorum usum pro rebus natis accommodatum usurpavi. Initio curationis hydrargyri submurias, oleum ricini, infusum sennae, et magnesiae sulphas utilissima purgantia reperientur; selectione, prout res sese habuerint, facta.

De Emeticis.—Haec in hoc morbo tractando a medicis quibusdam multum laudata sunt; exempla forsan sint, ubi inter initia, ad cru-

da ex ventriculo eliminanda, usus eorum aliquid proficere possit; et interdum utilitas quaedam, ab illa quam efficiunt, totius compaginis agitatione, profluat.

De Tonicis.—Huic classi diaetam, aëra, exercitationem et ejusmodi, cum iis medicamentis plerumque gratia constitutionem roborandi exhibitis rejiciam.

De Diæta imprimis—Haec ex alimentis generosis et concoctu facillimis, quod ad quantitatem et qualitatem pro viribus aegrae concoquentibus aptatis conflari debet. Copia vini modica saepe proderit.

De Aëre et Exercitatione.—Omnium tonicorum haec plurimum valere dicantur. Iis rite adhibitis commoda summa sanitati generali impertiuntur.

Primò, cura aliqua in genere et modo eorum statuendis opus est, ne nimis defatigationis inducatur. Si chlorotica admodum debilis est,

gestatio in curru, et perambulationes faciles prosint: sed quando vires sinunt, nihil ut opinor equitationi praestat; effectus ejus in valetudine generali adeo boni sunt, ut nunquam praetermitti debeat, si modo opes aegrae concedant. Quibusdam saltationem suadere licebit, atque, ut opinor, funis saltatorius quo fere ludunt puellae haud negligendus est; haec vero remedia aegris junioribus accomodata sunt.

Quum talia beneficia ab exercitatione profluere videamus, necessarium est, me judice, nonnulla mala ex inertia sexui muliebri praesertim nascentia monstrare.

Nulli causae uni plura incommoda, quibus tam saepe plectuntur feminae, referre possumus. Ei multa, pleraque fere dixeram, malorum generis nervosi plurimorum tribui queant; cruditas, debilitas localis et generalis eorumque sequelae incipiunt; his deinde superveniunt affectiones hystericae, quae morbos veros saepe adeo accurate imitantur, ut

saepe medicum ipsum seducant, aegraeque ipsi incommodum molestissimum afferant. Huic malorum seriei nil melius quàm exercitatio bene instituta obstabit.

De Cinchona, Gentiana, Quassia, Anthemide nobile caeterisque amaris vegetabilibus.—Illa remedia saepe ob virium concoquentium debilitatem postulantur. Prout res sese in aegra habuerint, regenda sunt; et raro usurpari debent, nisi consilia jam supra dicta, quum de purgantibus agebatur, peracta sint. Si aegra admodum debilitata fuit, habitusque mobilioris, ab amaris minus valentibus incipere, et deinde paulatim ad fortiorum usum accedere melius erit. Exempla quidem accidunt ubi talia praecavere nequaquam necessarium est.

De Chalybe.—De beneficiis hoc tonico valentissimo assumpto, plurimis in morbis, sed in eo maxime de quo agitur, inter omnes convenit. Fortasse pauca de ejus exhibitione ritè dicere o pus erit si enim ad hanc parum

animadvertatur injuria haud parva inferatur: dum contra, usum ejus caute observando, copiamque minuendo, vel augendo, vel pro re nata omnino omittendo, summa beneficia plerumque ex ejus usu percipientur. Praeparata ejus diversa formulas praebent, quae aegris singulis feliciter accommodentur ex horum utilissimis aliqua sunt: Mistura ferri composita; tinctura ferri muriatis; vinum ferri; carbonas ferri, &c.

Omnium autem formularum, per quas hoc utile tonicnm adhibere possumus nulla efficacior, nulla gratior est, quam aquae chalybeatae. Ægrae hos fontes celeberrimos invisentes, praeter utilitatem ipsius aquae multa alia commoda amplectuntur, quae ad morbum tollendum insigniter conferant. His in locis comites sunt grati, qui mentem occupent; diverticula ludique diversi, horae rite directae; omnia denique directa legibus quas experientia tulit, atque Regina Consuetudo imperatoria auctoritate pepetuavit.

Ægras, quarum opes talia concedunt, be-

neficiis illis usas esse, nunquam, quatenus valetudinem saltem spectat, pigebit.

De Balneo Calido.—Aliquando hoc utiliter aliis remediis opitulari queat. Temperiem ejus pro viribus aegrae, necnon diuturnitatem morae in eo, praecipere oportebit. Ubi cutis aspera est et arida, balneum calidum frictione adjutum, magnopere prosit; atque ubi ob debilitatem balneum generale suadere nolumus, semicupium in ejus locum cum commodo sufficere fas erit.

De Balneo Frigido.—Sub finem curationis et postquam sanitas aegrae haud parum restituta fuit, ad hoc remedium, sed caute omnino, confugere licet. Balneum marinum multas ob rationes aliis praestare putarem, quoniam cum eo beneficia aëris mutationis; scenae mutatae; convivii jucundi etc. conjungantur.

De Enematis.—Ex his immissis, ad initium morbi praesertim, ad actionem purgantium per os sumptorum adjuvandum, multum utilitatis saepe profluet. Multa materia faecu-

lenta et indurata effectibus eorum conjunctis saepe eliminabitur, quam ultralibet per se agentia non nisi post aliquod temporis spatium ejecissent. Usus enematum quasi fomentationis universae gratiâ adhibitorum haud praetermittendus est. In aliquibus injecta per vaginam prodesse pollicentur; atque ubi stimulus topicus idoneus habetur, paucae guttulae spiritûs terebinthinae admisceantur: vel aliis in exemplis, ubi spasmus causa suppressionis mensium esse ducitur, injecta tincturam opii continentia profectura videntur.

De Cucurbitulis et Hirudinibus.—Quum vires aegrotantis refectae sint, sed affectio topica adhuc permaneat; et catamenia nondum redierint; vel nunquam profluxerint; vires constitutionis ad hanc compaginis partem derivare oportebit. Hirudines pudendis, aut cucurbitulae cruentae lumbis admotae, semicupio adjuvante, verisimiliter proficient.

De Electricitate.—Multum de hoc remedio valido dictum est, atque etiamsi spem nostram haud raro fallat, nunquam e memoria elabi

sinere decet. Facilitas, qua morbi sedi admoveri queat, et illud, quòd scilicet aliorum remediorum actionem minimè interpellet, usum ejus usque suadent. Ex sententiâ Doctoris D. Clarke saepissime iis prodest, quarum sanguinis circuitus valde languet.

De Hydrargyro.—Hoc ex iis remediis universis unum est, quae fere in omni morbo tractando postulari videntur. Si utilitatem ejus in multis morbis negaremus, experientiae quotidianae adversaremur. Sed de hoc quod de multis remediis valentibus, verum est, abusum scilicet ejus usum aequiparare. In manu empirici gladius anceps est, et stragem internecionemque sine discrimine diffundit; dum quasdam conditiones morbosas tollit, saepe, heu nimis saepe! alias adhuc longe graviores perpetuas reddit. Ut jam dixi, nemo est, qui ejus utilitatem neget, in quibusdam saltem morbis curandis; sed usum in omnibus morbis, omnibusque morborum stadiis exprobare volo: Haec enim exhibitio inconsulta nonnullis e remediis utilissimis dedecus intulit. Mihi certe persuadetur multas esse constitu-

tiones, praecipue strumosa diathesi instructas, quibus damnum immedicabile usu hydrargyri inconsulto illatum fuerit.

In illo, de quo agimus, morbo, caute omnino hydrargyrum exhibere decet. Ubicunque morbus diu perstitit, et viscerum affectiones supervenerint, illo certissimè opus erit. Sed exhibitio cauta insigni modo postulari videtur, eaque irritabilitas singularis summa cura evitanda est, quam usus ejus, si fuerit nimius, inevitabilem inducet, et quae in debilitata chloroticarum conditione mala gravia cieret. Sed ex eo caute usurpato saepe summum beneficium profluere conspexi, ubi, maxime, ratio erat cur visceris alicujus morbum subesse suspicarer. Plerumque sub forma pilularum hydrargyri, raro grana uno vel duobus plura, quaque nocte, cum aloë socotorinâ; pilulis colocynth. comp. aut pulvere rhei pro re nata composita exhibui. Haec ratio in exemplo Chloroseos, quatenus vidi, fere omnium pertinacissimo, ubi morbosa conditio viscerum haud exigua suberat, felicissime rem gessit.

Ægra simul portiones parvas chalybis sumebat; menses aliquot aute curationem perfectam, quae quamvis lenta tamen continua ac minime interpellata fuit.

De Castoreo; Ferula Assafoetida; Bubone Galbano.—Haec omnia classi emmenagogorum pertinent, atque cùm aliis medicamentis utiliter conjungi queant, si praesertim aegrà multùm affectionibus nervosis et hystericis conflictatur. Multa sunt exempla ubi usus eorum plane proderit.

Multa praeterea remedia memorandi facultas est, quae in hoc màlo tractando cum commodo usurpata fuisse, dicuntur; sed quoniam jam praecipua recensui, ea nimirum a quibus adhibitis bonum manifestum profluere ipse conspexi; et quia non in animo est cuncta remedia in Chlorosi usurpata tradere; jam nunc ad pauca ex iis emmenagogis stimulantibus ad quae nonnunquam confugitur, proponenda transibo; hoc tamen imprimis praefato, ea adhibere tum solùm fas est, ubi vires

aegrae renovatae sunt, et medicamenta mitiora spem fefellerunt. Ex his momenti maximi sunt, oleum juniperi sabinae, tinctura cantharidis vesicatoriae, tinctura hellebori nigri, oleum terebinthinae, rubia tinctorum, etc. Horum unicuique aliqui favere, neque dubitari potest, quin omnia, in aliis atque aliis exemplis, et valentia et utilia fuerint. Jam nunc igitur de singulis, quo ordine supra ponuntur, pauca proferam.

De Oleo Juniperi Sabinæ.—Hoc medicamentum haud raro cum beneficio evidente adhibui. Cum aloë et myrrha compositum id praecipiebam. Copia sumenda paulatim augeatur, effectusque vigilantiâ observentur, necesse est.

De Tinctura Cantharidis Vesicatoriae.—Hoc remedium efficax et utile, sed summa cura exhibendum videtur. Haud semel beneficium ex ejus usu tempestivo et bene consulto, necnon haud parum mali, ob normas necessarias neglectas, conspexi. Tanquam corpus univer-

sum stimulans effectus admodum nocivi fuerint, usus vero ejus praecautelâ idonea ita dirigi potest, ut aliquamdiu continuari et demum crebro felicem actionem habere queat.

De Tinctura Hellebori Nigri.—Dr MEAD multique praetera hoc praeparatum uti emmenagogum plurimi aestimârunt. Ipse ego nunquam usurpavi; attamen ob actionem ejus in corpore validam, nil dubium est, quin dotes, quae ei tribuuntur, habeat. Administratio vero ejus mihi difficillima videtur; nihilominus autem exempla sunt, quibus prodesset, ubi nimirum mitiorum hujus generis medicaminum periculum frustra factum est.

De Oleo Terebinthinae.—Hoc laudibus magnis a quibusdam auctoribus nuperis, Doctore PRICHARD maxime in suis annotationibus de Epilepsia Uterinâ, elatum fuit. Ipse multis in exemplis amennorrhoea feliciter exhibui, atque ejus virtutes in illis medendis magni facio; inde tamen saepe aegras haematuria vex-

atas vidi, atque hoc prae ceteris usui istius objiciendum est.

De Rubia Tinctorum.—A Dre F. Home haec quasi auxilium in menstruis suppressis praestantissimum habita est. Ei bene cessit in exemplis quatuordecim e novemdecim; per portiones a semidrachma ad drachmam bis aut saepius praecipiebat.

Quoniam multa ad menstrua cohibita educenda proposita sunt, consuetudini medicinae solitae prorsus aliena, quae tamen, rem saepe bene gessisse feruntur, pauca ex iis tradere venia sit. A Dre Hamilton in tomo tertio libri "Physical Essays," vernacule inscripti, iliacas arterias externas comprimere propositum est. Ægra, cui hoc remedium admotum est, annos circiter novemdecim habuit, atque suppressio per menses ad minimum septem persiterat. Periculo primo facto, postquam intestina depleta fuerant, atque aegra super vaporem aquae calidae posita, effectum optandum, post temporis spatium adeo breve ac

horam et dimidiam, praestitit. In aliis non adeo profuit; nihilominus in exemplis singularibus profecturum aliquid videtur.

Nonnullae aegrarum historiae a Dre LAVAGNA traditae sunt, ubi injecta per vaginam immisit; haec ex guttulis decem liq. volat. cum duobus cochlearibus lactis calidi commistis conflabantur. Illa ter quaterve die intromittebat et plerumque post dies quinque aut sex remedium prosperè cessit.

Feminae, uti certiores fimus, Lusitaniae, ad catamenia morantia educenda, cucurbitulas cruentas feminibus, et saepe cum commodo, apponunt.

Jam, ut opinor, plerasque rationes Chlorosi medendi attigi. In morbi exemplo vetusto multa symptomata extra ordinem sese prodent, quibus singulis necessario curatio propria accommodanda erit. Indicia ex dyspepsiâ et hysteriâ orta vulgo frequentissima invenientur. Affectiones viscerum singulorum

curationem, qualem ostendet usus postulabunt.

Remediis supra positis multa alia adnumerari posse bene novi, quae porro a fautoribus propriis admodum laudata sunt. De horum dotibus haud parum, me judice, ambigere licet; eo magis mehercule, quia aliis medicis praeter auctores suos effectus eosdem virtutesque non praestant. Narrationes auctorum de his adversantes inter se componere operis haud exigui foret; remedium enim idem, quod ab hoc exhibitum mira beneficia, effectumque fere specificum edere fertur, ab illo nullum effectum quemcunque aut salubrem aut insalubrem praestare notatur.

Hunc tractatum jam ad finem perducam. In paginis praegressis; hujus inquisitionis graviora et quae attentione digniora essent, ut ostenderem eloboravi; multa tamen, vereor, me latuere ac fefellere, quae hic proponi bene mererentur.

Istam conditionem morbosam cui Nosologi nomen Chlorosin imposuerunt, definire conatus sum; quae porro cum aliis morbis, ob complura symptomata communia, haud raro confusa fuisse videtur.

A quibus compaginis animalis statibus notae ejus propriae pendeant, haud etiam conjicere ausus fuero; ratiocinatio enim quae judicio humano maximè consonet, saepe demum nil nisi fictio extat, atque quaestiones, quae primo intuitu simplices, facilesque responsu videantur, semel initae, saepe ingenii summi acuminisque animi hominum quam maximi, longe effugere reperiuntur.

FINIS.

Excudebat Joannes Moir, 1826.